DE

HAEMORRHOIDIBUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE VIII. M. APRILIS A. MDCCCXXXIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Fridericus Guilelmus Timpe
BEROLINENSIS.

Opponentibus:
L. GUNKEL, med. et chir. Dr.
A. WEISE, med. et chir. Dr.
PH. GABRIEL, med. et chir. Dr.

BEROLINI,
Typis Fratrum Schlesinger.

FRATRI DILECTISSIMO

L. TIMPE,

DOCTORI MEDICINAE ET CHIRURGIAE MEDICO PRACTICO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

EXPOSITIO BREVIS ANATOMICA.

Intestinum rectum tribus fasciculis muscularibus circumdatur, qui a coeco jam incipiunt, hoc loco autem multo validiores a natura instituti sunt. Quorum transversae fibrae sub fine intestini recti magis congregantur, ita, ut ibi ani, quem dicunt, sphincterem conforment. Intestini recti tunica mucosa obstipata est multis glandulis mucosis, circumque ejus ostium crassum adipis stratum positum est. Sanguinem his partibus haec adducunt vasa: 1) arteria haemorrhoidalis interna, quae ex arteria mesaraica inferiori exorta ad superiores intest. recti partes ramulos suos dimittit; 2) arteria haemorrhoidalis media, quae modò ex arteria pudenda interna, modo ex arteria ischiadica originem ducit, et musculis intest. recti inferioribus, vesiculis seminalibus, nec non prostatae, et in feminis vaginae, sanguinem adducit; 3) arteria haemorrhoidalis inferior s. externa, quae ex art. pudenda communi orta in musculo levatore ani, in spinctere in adipe, qui huic circumjacet, multos in ramulos diffinditur. Venae sanguinem ab inferiore intestini recti parte abducen-

tes plexum componunt venosum haemorrhoidalem atque in venam hypogastricam influunt. Venae confluunt superioris partis intestini recti in venam haemorrhoidalem internam, quae conjuncta cum vena colica sinistra ad venam mesaraicam decurrit, haec autem cum vena lienali truncum efficit venae portarum.

SYMPTOMATA.

Nomen haemorrhoidum, a graeca voce αἱμοῤῥοΐς, nihil aliud quidem significat quam fluxum sanguinis, sed veteres ita praecipue fluxum ex intestino recto prodeuntem cruentum vocabant. Recentioribus autem temporibus hoc nomen seriem amplectitur statuum morbosorum latius patentem, quorum symptomata mox describam. Semper fere prodromi, qui molimina haemorrhoidalia seu motus haemorrhoidales dicuntur, praecedunt.

Aegrotus de frigore, ponderis extremitatum gravissimi sensu, capitis doloribus, vertigine, somnolentia, dyspnoea, manuum pedumque frigore, pruritu glandis penis et perinaei, majore coëundi cupiditate, de doloribus in regione sacrali et lumbali trahentibus, de doloribus ani prementibus et sedibus admodum auctis conqueritur.

Urina cruda, sedimentum exhibens rubrum, difficile redditur, alvus plerumque obstipata, excrementa durissima difficillime dejiciuntur.

Haecce modo descripta symptomata affectiones sequuntur locales, dolores in regione sacrali pulsantes, sensus plenitudinis cujusdam, dolores pungentes atque urentes in intestino recto, tenesmus.

Plerumque fluxum sanguinis ipsum congestiones venarum intestini recti, varices, hoc loco mariscae dictae praegrediuntur, quae fluxu ipso exorto aut evanescunt aut perdurant.

Saepius autem fit, ut molimina haemorrhoidalia dispareant, quin fluxus sanguinis intret, neque aliud quidquam remanet,

nisi mariscae illae, haemorrhoides nominatae coecae; interdum etiam augetur tantummodo glandularum mucosarum secretio ideoque muci excretio fit, cui nomen haemorrhoidum mucosarum seu albidarum imposuerunt.

Saepissime autem post molimina praegressa sanguis ex recto intestino effluit, unde haemorrhoides nominantur cruentae. Aegrotus hoc tempore de horroribus repetitis, de doloribus trahentibus et tensione in regione lumbali, de tenesmo, de pruritu in perinaeo, de urente urina conqueritur.

Sanguis aut ex superiore intestini recti parte supra sphincterem emittitur, ita ut tenesmum efficiat, et tum vel una cum faecibus ex ano exit, vel solus merusque effluit postquam faeces dejectae sunt, quod fere semper fieri solet; aut ex intestini recti exteriore parte e sphinctere ejusque margine externo provenit, ita ut locus profundens, interdum etiam vasa aperta in conspectum veniant, atque hoc in casu pedetentin tantum sanguis emanat.

Aegrotus ad obstipationem alvi valde inclinat, faeces ipsae durissimae, sedes multos excitant dolores, qui et ob duritiem excrementorum et ob majorem irritabilitatem intestini recti et propter illas, quas supra diximus, venas dilatatas fiunt.

Sanguis ipse peculiarem praebet odorem, ita ut, qui subtili praeditus est olfactu, is facillime locum dignoscere possit, quo haemorrhoidarius quis alvum deposuit; est modo liquidus et merus, modo spissus et coagulatus, modo faecibus aut muco immixtus, modo rubro modo nigro colore.

Sanguine ex intestino recto effuso, omnia mala antea accusata disparent, ac aegrotus deinde bona valetudine frui solet.

Copia sanguinis emissi ex singulis vasis admodum varia est; modo parca, modo immensa.

Supponendum est, certam sanguinis copiam emitti necesse esse, ut haemorrhoides salutares existimentur. Quare divi-

duntur in haemorrhoïdes *parcas* et *nimias*. Parcae dicuntur eae, quae parum sanguinis effundunt, quae mucum tantummodo cruentum guttulas sanguinis nonnullas, aut strias in faecibus cruentas edunt. Aegrotus hac haemorrhagia parca nullum accipit levamen, et molimina haemorrhoidalia persistunt. Nimiae autem eae vocantur haemorrhoides, quarum copia vel pedetentim longiore temporis spatio vel simul effusa ultra modum ita excedit, ut aegrotus inde multum detrimenti facile capere possit.

Trnka singulos affert casus, in quibus nonnulli aegroti per nycthemeron quaternas uncias ad libras binas, alii per diem denas ad quadragenas libras sanguinis amiserunt. Haemorrhoides internae magis quam externae ad hanc vehementiam ultra modum excedentem proclives dicuntur, quoniam causae earum cum organis ad systema venae portarum pertinentibus quendam connexum habent arctiorem. Refrigeria, durante fluxu sanguinis, animi affectus, potus excitantes, medicamenta irritantia copiam sanguinis effusi valde augere solent. Hos nimios sanguinis effusi valde augere solent. Hos nimios sanguinis fluxus prodromi haemorrhagiae soliti praecedere consueverunt.

Interdum fluxus haemorrhoidalis semel tantum per totam vitam incidit, saepius autem pluries repetitur, atque etiam exempla traduntur, in quibus inde a juventute ad aetatem usque provectam periodice intravit. Plerumque semel aut pluries per annum, tempore incerto redire solet.

Rarius haemorrhoides typum certum observant. Interdum aut semel per annum aut bis plerumque tempore vernali et autumnali apparent. Exempla quoque traduntur, quae comprobant haemorrhoides tertio quoque mense, vel singulo quoque mense in menstruationis modum, adeo unaquaque hebdomade, profluxisse.

Prae ceteris typum quendam regularem saepius sequi dicuntur haemorrhoides in feminis post menstruationem suppressam exortae.

Trnka, Stahl, Vanderwonde et **Heister** similia nobis exhibuerunt exempla.

Haemorrhoides coecae (en contradictio in adjecto) uti supra jam dixi, varices sunt venarum intestini recti; eae sine prodromis exoriri possunt, saepe periodice apparent, aut comitantur haemorrhoides fluentes, aut cum iis alternant, saepenumero etiam sine illis occurrunt. Sedem habent in externo ani margine et in conspectum veniunt; saepe autem etiam in altiori intestini recti parte nascuntur. Aut alvi dejectione protruduntur, aut detegi possunt digito immisso, aut dignoscuntur prodromis praegressis, dolore in alvo deponenda, dolore in recto urenti et sensu quodam aegroti, ac si aliena quaedam corpora in intestino recto versentur.

Forma et magnitudine variantur; ab initio quidem parvae sunt, in speciem capitulorum acuum, colore coeruleo; deinde amplificantur ad magnitudinem cerasi, adeo pomi. Hae venae dilatatae tunica obtectae mucosa quasi bullae tenues, laeves, sanguine impletae, tanguntur. Ab initio singulae tantum circa anum obsident, deinde plures proveniunt, interdum confluunt limbum conformantes anum circumdantem. Hae majores venarum varices, uti jam supra commemoravi, mariscae dicuntur. Si in altiore intestini recti parte positae sunt, tum faecibus protruduntur, tum sphinctere quasi incarceratae vehementes dolores movent coloremque exhibent coeruleum et elasticae quasi fluctuantes cernuntur. Paulo post alvi dejectionem recedunt, quod quidem, si longius jam perduraverint tempus, non amplius fieri solet, diutius enim ad anum et denique semper in conspectu manent, deinde jam non solent disparere, magisque ad degenerationes inclinant. Permagnos efficiunt dolores, interdum nimis impletae dirumpuntur, unde haemorrhagiae exsistunt, aut inflammantur et facillime in suppurationem transeunt, atque adeo abscessus, ulcera, fistulas relinquunt. Si longius persistunt tempus et inflammatio saepius recrudescit,

sangnis, quo refertae sunt, coagulat et indurescit, tunica intestini recti incrassatur, atque mariscae durae fiunt ad instar corii. Cavendum igitur est, ne cum verrucis, condylomatibus et aliis pseudorganisationibus illas commutes confundasque.

In feminis vaginae pruritum efficiunt, coitum dolorificum et difficilem reddunt, graviditati et partui molestias offerunt. Saepius autem oriuntur sub graviditate. Haemorrhoides coecae aut plane locales sunt, aut causis gignuntur internis et tanquam conamina videntur ad sanguinis fluxum provocandum, quae autem congestiones tantummodo intestinum rectum, intumescentiasque venarum efficiunt, quin effluxum sanguinis movere possint.

Hoc in casu in hominibus oriuntur ad haemorrhoides dispositis eosdem prodromos offerentes, cum iisdem malis conjunctae; atque suppressae varios afferunt morbos et incommoda, quoniam semper criticae indolis sunt.

Dividuntur vero haemorrhoides in externas et internas, sed hujus divisionis principium a medicis vario modo deducitur. Nonnulli enim haemorrhoides externas eas nominarunt, quae ex arteria haemorrhoidali externa, internas autem eas, quae ex art. haemorrh. interna originem ducunt. Sed connexus inter utrasque arterias hanc divisionis rationem inanem esse sat demonstrat. Stahl ejusque discipuli hanc divisionem in venis haemorrhoidalibus poni volunt. Haemorrhoides externas nominat affectiones morbosas venarum haemorrhoidalium externarum, quae in venam hypogastricam influunt, internas autem morbum venae haemorrhoidalis internae, quae in truncum venae portarum, aut in venam lienalem decurrit.

Alii haemorrhoides externas illas vocant, quae externe in margine ani, internas, quae supra sphincterem sedem tenent.

Haemorrhoides externae secum ducere solent dolores rheumaticos in regione lumborum, coxae et femorum, hebetudinemque extremitatum. In altiori gradu dolores in dorso,

humero, regione lumbali et sacrali vehementiores fiunt, pungentes, trahentes. Hae haemorrhoides suppressae aut anomales, coxalgiam, arthritidem, paralysin crurum et haemorrhagias gignunt.

Haemorrhoides internae cum variis organorum abdominalium affectionibus conjunctae sunt. Aegrotus de doloribus in recto intestino urentibus et trahentibus, in abdomine trahentibus, tendentibus conqueritur. Comites illorum evadunt hysteria, hypochondria, flatulentia, colica sic dicta haemorrhoidalis, cardialgia et affectiones hydropicae. Quae cum supprimuntur haemorrhoides, morbi chronici lienis, hepatis, aliorumque organorum abdominis, interdum hydrops ascites, sequi solent. Quoad causas, dividuntur haemorrhoides in acquisitas et in hereditarias vel congenitas. Haemorrhoides acquisitae fere semper locales sunt et nonnisi causis externis progenitae; hereditariae ex dispositione corporis morbosa universali nascuntur.

Deinde dividuntur haemorrhoides in simplices et in compositas, scilicet cum aliis morbis conjunctas et implicatas. Saepius rheumatismos, arthritidem, hypochondriam, hysteriam, morbos lienis, affectiones et capitis et pectoris, interdum passiones scorbuticas et spasmodicas haemorrhoides comitari videmus. Haemorrhoides salutares valetudinem antea turbatam restituunt, morbum praegressum tollunt aut impediunt, quominus in pejorem morbum incidat aeger.

Saepius haemorrhoides dolorificae fiunt. Dolor ipse modo brevius, modo longius tempus perseverat, modo mitior, modo adeo vehemens, ut aegrotum somno et appetentia ciborum privet, quid? quod convulsiones procreant haemorrhoides furentes. Hic dolor et congestionibus et extensione vasorum, et excoriationibus et irritabilitate adaucta, et praecipue inflammatione mariscarum excitari potest. Quoad intensionem et extensionem valde variat, mox enim superficialis, mox tunicas intestini aggrediens,

mox unam tantum mariscam, mox partem aut totum intestini recti ambitum corripit, dolores furibundi praecipue in dejectione faecium, pulsus frequens, urina flammea, excrementa dura. Inflammatio resolvi quidem potest, saepius autem in suppurationem et in gangraenam transit, ita ut febrem hecticam, imo mortem afferre possit.

Occasione oblata pauca addam de furunculis sic dictis haemorrhoidalibus, qui interdum ad anum et ad pudenda mulierum inveniuntur. Singulae mariscae cum tunicis et tela cellulosa circumjacentibus inflammatione afficiuntur, et ad anum aut in labiis pudendis majoribus magnos conformant tumores circumscriptos, saepius magnitudine pugni, coloris e rubro caerulei, qui vehementissimos dolores pulsantes, secantes excitant, plerumque in suppurationem aut gangraenam transeunt atque ulcera sinuosa et fistulas relinquunt.

Fluxus haemorrhoidalis diminui potest et evanescere, si jam sat magna sanguinis copia dejecta est et necessitas excernendi, ut valetudo restituatur, non amplius existit, aut si corpus vires deficiunt largiorem sanguinis fluxum sustinendi. Sin autem dispositio haereditaria et illa necessitas adhuc persistunt et nihilominus haemorrhoides fluentes diminuuntur et plane evanescunt, quarum vices nunc aliae suscipiunt affectiones morbosae, velut hysteria, vomitus cruentus, cordis vitia organica etc. hunc processum morbosum haemorrhoides obstructas, quae autem parum a suppressis distinguendae videntur, nominamus. Causas talis obstructionis praebent animi affectus motusque, refrigerationes, peccata in victus rationem, clysmata, balnea, medicamenta adstringentia, dyscrasiae etc.

Haemorrhoides dividuntur porro in congruas et incongruas: illas in praecedentibus jam tractavi, has autem in sequentibus exponam.

Haemorrhoides pro indole sua et loco esse possunt incongruae. Indole incongruae sunt, quum ex congestionibus ad

intestinum rectum non sanguinis fluxus, sed aucta tantum glandularum mucosarum actio efficitur. Saepius hae haemorrhoides mucosae cum cruentis alternant. Mucus, qui secernitur glandulis supra sphincterem sitis tenesmum movet; qui contra glandulis circa anum secernitur, is effluit quin tenesmum efficiat. Istiusmodi secretio muci aliquot dies solummodo perdurare solet, et plerumque occurrit in hominibus aetate jam provectis aut cachecticis, quos vires deficiunt. Mucus ipse indole et colore, valde variat: modo lenis, modo acris, modo viridis, modo ruber, plerumque autem peculiarem offert odorem.

Hae haemorrhoides mucosae, non indole solum, verum etiam loco incongruae evenire possunt, quum tam partes genitales quam organa uropoëtica corripiant.

Sicut haemorrhagiae ex omnibus fere corporis partibus vices menstruationis suscipere possunt, ita haemorrhagiae quoque ex aliis corporis partibus haemorrhoidum non apparentium aut suppressarum munere fungi possunt. Tales dicuntur haemorrhoides loco incongruae. Aut ab initio jam animadvertuntur anomalae, aut haemorrhoidibus fluentibus praegressis. Atque in hoc genere duplicem iterum sequi possunt rationem: aut incongruae cum congruis alternant, aut congruas sequuntur suppressas. Illae haemorrhoides ab initio incongruae dispositione haemorrhoidali dignoscuntur, quae quidem peculiaris esse videtur; hae praegressas sequentes, eosdem exhibent prodromos: utraque autem species molimina haemorrhoidalia fugat.

Tali modo haemorrhagiae e genis, e gingivis, e mammis, e palato, e naribus, ex auribus, pulmonibus, ventriculo, renibus, vesica urinaria, ex urethra et vagina oriuntur. Saepissime haemorrhoidibus incongruis afficiuntur pulmones, unde aegroti de ponderis sensu in pectore, de pressu conqueruntur; percussio thoracis digitis instituta, hebetem sonum praebet et auscultatio respirationem laesam esse docet. Accedit tussis, pallor faciei, labiorum, genarum et morbus in haemorrhagiam pulmonum de-

sinit. Interdum sanguis ad lien congeritur, cujus volumen adeo augetur, ut digitis percipi possit; mox tussis accedit brevis et sicca, respiratio impedita, dolores in regione lienali pungentes, a cibis assumptis increscentes; aegrotus sensum se percipere accusat, ac si liquor calidus infundatur in ventriculum. Vomituritiones incidunt et vomendo materiae ejiciuntur nigrae. Affectiones renum haemorrhoidales, rarius occurrentes, manifestantur doloribus in regione lumbali prementibus, qui decursum ureterum sequuntur. Cibi assumti vomitu ejiciuntur, neque urina redditur. Repente magna copia urinae fuscae, in vase sedimentum relinquentis cruentum emittitur.

Haemorrhoides vesicales, quae interdum etiam fluentes comitantur, dolores secum ducunt in cervice vesicae contrahentes mictu auctos; qui quidem majorem assecuti gradum urinam aut prorsus retinent, aut certe guttatim stillare sinunt. Urina emissa colorem accipit fuscum, saepe cum muco tenaci commixta, Catheteri explorandi causa immisso in introitu vesicae impedimentum obstat, quod ex venis hoc loco extensis fit.

Feminae dispositione haemorrhoidali praeditae saepius laborant affectionibus uteri in aetate jam provectiore. Uterus tunc descendit, collum ejus tumefactum persentitur, vaginae venae turgidae existunt. Certis temporis momentis, quae autem nequaquam menstruationi respondent, sanguis profluit nigro colore.

Interdum aegroti, haemorrhoidum fluxu haud intrante, de magna regionis epigastricae oppressione conqueruntur, quae quidem, si manu exploras, tumefacta reperitur et saepius pulsans. Manu premente, vehemens exoritur anxietas. Serius affectiones hydropicae imprimis extremitatum inferiarum apparere solent, et, corpore dissecto, ostium cordis venosum et vena cava ascendens dilatata cernuntur. Jam commemoravi molimimibus haemorrhoidum adhuc vigentibus vertiginem et congestiones ad caput adesse, quae quidem, ad altiorem gradum

elatae, caput oppressum reddunt et gravissimum; imo vehementiores factae visum hebetant, ita ut amblyopia amaurotica exoriri possit, vertiginemque ita augere possunt, ut aegroti apoplexia se affectos esse putent.

Accurate distinguendae sunt haemorrhoides ab aliis morbis, qui cum fluxu sanguinis ex intestino recto conjuncti esse solent. Huc pertinet dysenteria, quae autem morbis acutis annumeranda plerumque epidemice occurrit. Colica hic vehementior, tenesmus gravior longeque frequentior. In fluxu intestinali hepatico liquor loturae carnis similis sine torminibus et tenesmo effunditur et originem e depravatione hepatis ducit.

Facile haemorrhoïdes mucosae cum fluxu sic dicto coeliaco commentari potest, qui autem defectu omnium moliminum et prodromorum haemorrhoidum et eo quod tabem corporis efficit, discrepat ab illis.

CAUSAE.

De morbi natura alii medici alias protulerunt sententias. Multi arbitrati sunt haemorrhoides esse destinatas ad evacuandum sanguinem crassum, foeculentum et atrabilarem; alii censuerunt, illas provocari necessitate quadam plethoram aliquam tollendi; alii eas oriri dicebant ex principio quodam sanguinis acri scorbutico, quod quidem dolores, spasmos et arthritidem produceret, nisi e corpore expelleretur. Istiusmodi autem argumenta opinionesque minime sufficere, unusquisque fere intelliget. Recentiore tempore nonnulli hypothesin in medium protulerunt, ipsis haemorrhoidibus fluentibus processum quendam in sanguine chemicum excitari, peculiares quasdam materias gignentem, quae deinde e corpore ejiciantur, sicut simile quid in menstruatione fiat. Hanc opinionem peculiari sanguinis haemorrhoidalis odore comprobare student, sed dolendum est hypothesin tantum esse et parum rationibus suffultam.

Itaque nihil nobis restat, quam expositio phaenomenorum localium, quorum causa proxima in aucto sanguinis impetu ad intestinum rectum, in refluxu sanguinis impedito et inde exorta vasorum atonia consistere mihi videtur.

Hanc sententiam facile ex anatomica partium structura et situ comprobare licet. Totum venarum sanguinem ad venam portarum mittentium systema ad plethoram venosam valde propensum est; id enim caret omnibus valvulis sanguinis motum adjuvantibus. Vena portarum singularem praebens structuram sese in ramulos dividit, quos ad hepatem mittit. Vena haemorrhoidalis interna sanguinem ex ano ad venam portarum adducens eximia gaudet longitudine; omnes musculi, qui sanguinis motionem accelerare possint, deficiunt.

Hoc modo fieri potest, ut sanguinis circulatio valde sit retardata, carbogenium augeatur, et plethora vel abdominalis tantum vel universalis exoriri possit. Saepissime etiam causa retardationis posita est in hepatis vel lienis structura vitiata aut in vasorum abdominalium relaxatione.

His omnibus autem intestinum rectum prae ceteris affici necesse est. Sub omni corporis conditione normali infimum organorum abdominalium locum in pelvi tenet. Ab organis vicinis a vesica urinaria semper impleta, ab utero gravido coarctatur; ab excrementis in eo intus accumulatis et ab intestinis supra positis premitur; quid mirum igitur, quod in arteriis ipsis circulatio retardatur, si irritatae majorem copiam sanguinis adducunt, ita ut prae omnibus sanguinem retardatum vasorum parietes extendere, interdum rumpere necesse sit.

Experientia docet dispositionem hereditariam in haemorrhoidibus oriundis multum valere; prae ceteris illi homines ad magnam abdominis venositatem inclinare dicuntur, quorum parentes arthritide aut hypochondria laboraverant.

Haemorrhoides solummodo homines aetate jam provectiores corripiunt et circa annum quadragesimum ad quinquagesimum

fieri solent, quum hac aetate facillime plethora quaedam venosa systema venae portarum afficiat. Si infantes haemorrhoidibus laborant, plerumque dispositio haereditaria est accusanda, quamquam etiam causis procreari possunt externis, de quibus postea disseram. Viri saepius haemorrhoidibus laborare solent fluentibus, mulieres coecis, quippe quae laxiora vasa habere dicuntur, magisque vitam agunt sedentariam, deinde graviditas et partus saepius ansam praebent; cum autem menses cessaverunt, saepius haemorrhoides intrare solent fluentes.

Porro homines temperamenti cholerici aut melancholici, et tales, qui juvenes epistaxi vel haemoptoë laborarant, et tenace praediti corpore atrabilarique valde ad haemorrhoides proclives sunt.

Sub tali dispositione sequentes causae occasionales primariae et mechanicae morbum ipsum provocare queunt. Primariis annumerandae sunt: cibi et potus debilitantes, nimius theae usus, coffea tenuis, quae omnem tractus intestinalis actionem labefaciunt; deinde autem excitantes, aromata, vinum adustum, vinum, cerevisia humulo lupulo abundans, allium, cepae, quae omnia congestiones ad abdomen efficiunt. Porro huc pertinent omnia, quae intestinum rectum irritant et sanguinis fluxum ad hanc partem augent: abusus purgantium drasticorum, aloes, hellebori, rhei, clysmatum acrium, praecipue clysmatum visceralium Kaempfii, deinde sordes in intestinis, bilis, cibi indigesti, nuclei cerasorum et prunorum, vermes, tum obstructio alvi diuturna, faeces accumulatae, quae mole prementes affluxum sanguinis impediunt, prolapsus ani saepius repetiti, qui ab initio quidem relabuntur, deinde autem longius tempus sphinctere excluduntur, quo fit, ut sanguis ibi accumuletur et varices procreentur; denique charta ad anum detergendum adhibita, cui materiae acres adhaerent, equitatio saepius repetita, affectiones uteri, vaginae, nimius coitus, onania, paederastia, diarrhoeae diuturnae et dysenteria, inflammationes et indurationes intestini recti et

prostatae etc. Ad mechanicas denique causas recensendae sunt, omnes quae liberum sanguinis fluxum impediunt: prae ceteris vita sedentaria, quare auctores librorum, artifices, sartores, textores et alii praeprimis haemorrhoidibus laborant; status corporis erectus diuturnus, quo typothetae aliique utuntur. Deinde graviditates et partus difficiles, ubi foetus interdum longius tempus in pelvi versatur; accedit, quod gravidae obstructione alvi laborare solent.

Mirum sane videtur, haemorrhoides praecipue post partum vehementiores fieri, imo tum demum exoriri, atque pressum illum etsi jam remotum, atoniam quandum vasorum intestini recti relinquere. Denique adhuc vestimenta cujusvis generis valde sunt accusanda.

PROGNOSIS.

Multi et vetustioris et recentioris temporis medici haemorrhoides haud morbum esse contenderunt. Multum jam Hippocratis in haemorrhoides confisus est, cum ait: „qui haemorrhoidibus laborant neque pleuritide, neque peripneumonia, neque furunculis, neque terminthis fortasse neque lepra. Alio loco: „Melancholicis et nephriticis haemorrhoides supervenientes bonum.“ Alio loco: „Insanientibus, si varices aut haemorrhoides supervenerint, insania solvitur. Quae apoplecticis veniunt haemorrhoides, salutares. Salutares sunt, inter alios dixit Alberti, fluxus aureus et statui corporis normali tribuendae. Ab effectibus illarum argumenta hujus sententiae deducunt, quod plethoram tollant, sanguinem attenuent, intestinorum infarctiones impediant, actionem cordis vasorumque sublevent, nimium ad hepatem, lienem, ventriculum, glandulas mesenterii, sanguinis impetum declinent, quod homines haemorrhoidibus laborantes valde provectam assecuti fuerint aetatem, quod apparentes haemorrhoides alios morbos arthritidem, podagram, hypochondriam, hysteriam et alios sustulerint.

Quisque autem probe intelliget, illa argumenta haud multum valere. Haemorrhoides enim ut status haud dubie morbosus judicandae sunt. Illorum ex opinione igitur omnes homines haemorrhoidibus non laborantes aegroti essent habendi. Variae enim turbationes valetudinis praecedunt, ita ut haemorrhoides relative tantummodo naturae beneficium existimari possint, quo homo plane sanus minime eget.

Jam vero docet pathologia plures existere morbos, qui salutares pro certis conditionibus nominari possint. Eodemque modo etiam haemorrhoides iis hominibus salutares esse solent, quibus organorum gastricorum functio laesa est et vitiata, quorumque valetudo tali sanguinis derivatione restituitur et pro tempore conservatur. Suppressae valde nocent. Semper autem magnas secum ferunt molestias et nunquam sunt levandae. Optimum esset, si medicus illas sanare posset affectiones morbosas, quae haemorrhoidibus relinquuntur tollendae et sanandae.

Facile ad plethoram etiam gignunt dispositionem et vitia procreant intestini recti localia.

Quae haemorrhoides e causis exortae sunt mechanicis, semper noxiae sunt; quae autem e dispositione hereditaria magis salutares evadunt, quum homines affectos ab aliis morbis periculosis tueantur, velut a vomitu cruento, arthritide, gastrodynia et morbis hepatis lienisque chronicis.

Aetate provectiore haemorrhoides saepius repente supprimuntur, quo facto saepissime paralysis et apoplexia incidunt. Si evanescunt illae semper majorem corporis imbecillitatem et virium jacturam relinquunt.

Haemorrhoides, quae aetate puerili jam occurrunt, aegrotum debili esse constitutione indicant. In feminis prae ceteris dolorificae factae abortum minantur.

Si nimis copiosae exstant valetudinem pedetentim depravant, cachexias procreant, imo illico necare hominem possunt.

Malam prognosin offerunt haemorrhoides incongruae. Quo graviori auctoritate est organum affectum, eo magis in malam abit prognosis.

CURATIO.

Multi quidem medici voluerunt haemorrhoides nunquam tolli debere, quia illis laborantes multis aliis morbis iisque gravioribus vacui servarentur. Celsus: „atque in quibusdam," inquit, „parum tuto supprimitur; qui sanguinis profluvio imbecilliores non fiunt, habent enim purgationem hanc, non morbum. Ideoque curati quidem, cum sanguis exitum non haberet, inclinata in praecordia ac viscera materia, subitis ac gravissimis correpti sunt morbis.

Prae ceteris autem haemorrhoides acquisitae locales semper tollendae sunt. Universales ut ita dicam non subito et temere quidem supprimi debent, quid autem obstet, quin sanare eas studeamus, si causas tollendi facultas nobis pateat?

Hoc quidem raro fit et prae ceteris haemorrhoides ex dispositione oriundae hereditaria, inveteratae, in hominibus imbecillis, cachexiis jam laborantibus sanationem plerumque vetant propter sequelas maxime timendas.

Ubi autem sanationem sperare nobis licet, praecipue respiciendae sunt causae remotae, prae ceteris dispositio et proclivitas ad haemorrhoides, quae ex habitu sic dicto haemorrhoidali patere solet. Consistit haec in morbosa corporis conditione ejusque vitalitatis nunc arcte cum tota organisatione connexa, nunc ab affectionibus localibus, a morbis praecipue organorum abdominalium dependere videtur. Victus ratio apta, corporis motio, equitatio, domicilium in rure, diaeta strenua, facultas causas evitandi corpus debilitantes, medicamenta leniter roborantia saepius hunc statum in meliorem commutare atque adeo tollere queunt. Interdum atonia et torpor omnium abdominis

viscerum causam haemorrhoidum praebet. Hic lenis tractus intestinalis incitatio prodesse potest, prae omnibus frequens sub die motus, frictiones abdominis, diaeta apta, cibi leniter alvum ducentes, radices, pomi, quotidianus aquae sat magnus usus, clysmata refrigerantia, balnea calida, medicamenta alvum leniter purgantia, inter quae Hildebrandt praecipue cremorem tartari, tart. tart. commendavit. Alii extracta illa amaricantia, resolventia praeposuerunt, e. g. graminis, taraxari, saponariae, millefolii, chelidonii. Dein ad remedia roborantia et tonica transire licet. Inter alia et potus frigidus, clysmata frigida, lotiones abdominis frigidae, interne vinum rubrum, adhiberi possunt. China validum quidem remedium non ab omnibus bene ferri solet, praesertim ab hominibus constitutione atrabilari, tenaci praeditis. Ab initio adeo haemorrhoides augere, usu longiore autem istum effectum amittere dicitur. Eodemque modo ferri praeparata non in omnibus casibus adhibenda, in atonia intestinorum et torpore, in tarda inde oriunda circulatione humorum, multum prodesse possunt; exstantibus autem erethismo et inclinatione ad congestiones et haemorrhagias magis nocent. In fine curationis aptum locum tenent.

Alibi nimiam invenimus irritabilitatem, hypochondriam et hysteriam haemorrhoidum causas. Hoc casu medicamentis alvum leniter ducentibus, adjunctis usui interno valerianae et millefolii, uti convenit.

Aegroti juvenili aetate, sanguine abundantes et forte praediti constitutione antiphlogistice curandi sunt. Cibos assumant tenues, magnam aquae copiam bibant, interdum etiam venae sectionem instituere utile erit.

Ubi autem hasce haemorrhoidum causas removere penes medicum non est, ubi conditiones, quas supra jam commemoravi, existunt sanationem vetantes et prohibentes, haemorrhoides coërcendae tantummodo sunt, temperandae et ita dirigendae ut ordinem quendam sequantur. Tali modo moles-

tiae, licet non prorsus auferantur, certe tamen tolerabiliores reddantur.

Hunc ad finem autem victus ratio apta plurimum valet. Aegrotus in aëre puro, modice calido versetur, omnem cautissime evitet refrigerationem. Neque negligendus ei est corporis motus, constitutioni et haemorrhoidum statui congruus; ne ultra modum dormiat aut noctes pervigilet, jam sub vespere cubiculum tendat, quod primis jam horis diei relinquat, fugiat porro omnem nimiam exercitationem virium, praecipue autem quemque animi affectum. Diaeta simplicissima esse debet. Aegrotus nonnisi cibis utatur facile digerendis et parcis, evitet omnia, quae flatum movent, et irritantia nutrimenta. Omnes corporis excretiones adjuvandae sunt, praecipue alvi, cujus obstipatio ne unum quidem diem patiatur aegrotus. Altera parte autem aeque noxium est eam medicamentis tollere purgantibus drasticis. Omnia quae liberam sanguinis circulationem impediunt, vestimenta nimis arcta etc. caute fugienda sunt.

Praemissis hisce praeceptis generalibus, ad curationem singularum haemorrhoidum specierum jam transibo.

1. Curatio moliminum haemorrhoidum.

Non semper molimina haemorrhoidalia medicum sanguinis fluxum provocare et adjuvare jubent, quamvis effluxu intrante molestiae eum comitantes evanescere soleant. Si fluxus ipse nondum affuit, tum opera danda est, ne intret, quia eum moventes simul reditum ejus efficimus. In hoc casu congestiones ad int. rectum diminuere debemus. Aegrotus quietem agat, cibos et potus irritantes, obstipantes et flatulentiam gignentes declinet, et quotidie sat magnam bibat aquae copiam. Quum autem molimina haemorrhoidalia graviores proferunt affectiones et periculum afferre possunt, tum fluxus sanguinis adjuvandus est. Doloribus ani apparentibus, pulsus durus re-

peritur et plenus, aegrotoque sanguine abundanti venae-sectio in pedibus, hirudines ad anum applicatae, usus cremor. tart., tart. tart., sal. angl. magnum praebent levamen. Statum magis spasticum fomentationes abdominis, clysmata antispasmodica, e herba valer. flor. chamom., hrb. millefolii parata, balnea calida diminuere et tollere solent.

2. Curatio haemorrhoidum fluentium.

De quaestione utrum fluxus haemorrhoidum sanandus sit, an contra, supra jam verba feci. Haemorrhoides regulares ad sanguinis copiam adaptatae et criticae habendae nihil postulant nisi attentionem singulis tribuendam paroxysmis, ne modum excedant, aut plane supprimantur.

De victus ratione observanda supra jam dixi. Inter remedia alvum ducentia praecipue: ol. ricini, crem. tart. et tart. tart. nominanda sunt.

Difficile est dijudicatu, utrum modum excedat sanguinis profluvium nec ne. Haud vero nimium est habendum, quamdiu aegrotum non debilitat.

Quum autem sanguinis fluxus tantam adipiscitur vehementiam, ut haemorrhagiae symptomata appareant et inde mors immineat, aut quum longiore temporis spatio perdurat vel pluribus repetitionibus ne alia mala provocet, hydropem et febrem hecticam denique timendum est, tum quovis modo coërcendus.

Hunc ad finem respiciendum est prae ceteris, qualem praebeat indolem. Si ex statu oritur inflammatorio in aegroto fortis constitutionis plethorico vel maxima, observetur corporis quies animique tranquillitas. Indicatio ad venaesectionem instituendam ex pulsuum ratione depromenda. Interne remedia adhibenda antiphlogistica ex. gr. cr. tart. c. nitr. Statu occurrente erethico alia adhibenda est curandi ratio; si pulsus

parvus est et duriusculus ipecacuanha in refracta dosi porrigenda; si aestus subitaneus, magna bibendi cupiditas, pulsus excitatus adsunt, parvae commendandae doses naphtharum cum opio, simul frictiones extremitatum, inunctiones antispasmodicae et balnea adhibenda sunt calida. Si e contrario exstat status torpidus, medicamenta porrigenda sunt adstringentia ex. gr. alumen, katechu, kino, bistorta, tormentilla, ratanhia, etiam vitriolum martis.

Si status morbosus ex accumulatis in int. recto excrementis, remedia leniter evacuantia, si ex suppressa ortus est cutis functione, diaphoretica simul in usum vocentur. Remediis internis ad coërcendum sanguinis fluxum haud sufficientibus ad externa confugiendum est. Fomentationes frigidae ad regionem sacralem aut ad anum applicatae, clysmata ex aqua frigida, e decoctis tormentillae, bistortae, gallarum refrigeratis cum medicamento acidi sulphur., aluminis vel vitrioli martis, injectiones vini rubri, in statu erethico magis injectiones e gummi minosae et ichthyocolla paratae, dein frigida balnea hic adhibenda sunt.

Quae si parum proficiunt remedia, carpiae linteae penicillus aluminis solutione acido sulphurico diluto., alcohole tinctus in rectum quam altissime ingerendus, dum reliqua pars recti carpia eodem modo praeparanda implenda, aut linamenta cruciata in media parte filo colligata albumine vel aluminis solutione inuncta in anum immittantur. Si autem omnia haec remedia nihil praestiterunt, nihil aliud quam vasorum ligatura nobis restat. Devicta haemorrhagia medicus recidivam fieri prohibere et causas ejus tollere et removere studeat.

Quum parcus tantum exstat fluxus haemorrhoidum et copia sanguinis haud sufficiens ad valetudinem restituendam amittitur, iisdem remediis illum augere possumus, quibus, ut moliminum molestias removeamus et fluxum provocemus, utimur.

Toto paroxysmo haemorrhoidali absoluto et fluxu sanguinis cessante, medico periculum facere licet, totam indolem

haemorrhoidum tollendi eique medendi. Rarissime autem hoc bene succedit, praecipue in hominibus haemorrhoidibus jam diu assuefactis, debilibus et morbis organorum abdominalium chronicis jam affectis. Hic nihil nisi victus ratio idonea qua haemorrhoides non perturbentur, salutis spem fulgere sinit.

3. Curatio haemorrhoidum coecarum.

Haemorrhoides coecae ex causa oriundae universali, certe non ab initio remediis localibus curandae, priusquam causae sublatae sint. Si ex plethora aut universali aut abdominali proficiscuntur, sicuti in mulieribus post mensium cessationem haec fuganda est; attamen fieri potest, ut venaesectionem, antea instituere et hirudines applicare necesse sit. Si ex retardata in abdomine sanguinis circulatione originem ducunt, eadem pluries jam commemorata remedia vasorum actionem augentia et leniter excitantia in usum vocanda sunt, ex gr. Kali tart., crem. tart., extr. graminis, saponariae etc.; exstante atonia organorum abdominalium, remedia amara et roborantia. Interdum etiam emetica saepius repetita effectu alterante circulationem accelerare et nodulos illos diminuere posse dicuntur, tamen cautissime tantum adhibenda sunt. Quum causae haemorrhoidum coecarum istiusmodi remediis removeri non possunt, aut quum inclinat aeger ad haemoptoën vel haematemesin, ad cardialgiam, arthritidem etc. medico nihil restat quam fluxum haemorrhoidalem remediis illis jam enumeratis provocare.

Causis sublatis, si haemorrhoides coecae propter nimiam venarum laxitatem adhuc persistunt, remedia localia adstringentia et roborantia in usum vocanda sunt. Iisdemque in haemorrhoidibus coecis localibus acquisitis, ex causis oriundis mechanicis, jam ab initio utimur. Nonnulli prae ceteris Schmucker et Hildebrandt hunc ad finem clysmata frigida laudant et ab initio quotidie post alvi depositionem unum, quatuordecim diebus

interpositis duo applicari jubent. Aegrotus ea aliquamdiu retinere studeat. Ab initio tepidiora sensim sensimque autem frigidiora adhiberi debent. Eundem fere effectum insessus frigidi et frigidae ani fomentationes praebent. Statu occurrente torpido, cataplasmata frigida ex solutione aluminis vel vitrioli martis, e decoctu cort. quercus, gallarum, bistortae, tormentillae interdum alumine mixto, adhibenda sunt. Interdum haemorrhoides coecae hisce remediis externis et internis haud cedunt et magnitudinem assequuntur modum longe excedentem, indurescunt et alvi depositionem dolorificam reddunt, quo in casu operatione removendae sunt.

Tres hujus operationis exstant methodi, quarum vetustissima ferro candente efficitur. Bell, Bichat et Howship ligaturam, Abernethy, Hey, Kirby et Dupuytren incisuram commendant. Inter has primum quidem locum tenet methodus cultro perficienda, nam et ferrum candens et ligatura vehementissimas affectiones, dolores, inflammationem venarum aliaque mala proferre possunt, quod experientia docuit, quamquam Bell in nodulis magnis, ad quos magna vasa tendere timendum est, ex ligatura unicum sperandum esse auxilium contendit.

Operatio cultro facillime instituenda est, cum varices ad anum positi sunt, difficilius autem, si altiorem in recto locum tenent; quod si evenit, nisu ad alvum deponendum adhibito protrudi debent si fieri potest.

Mariscae magnae et durae cultro findantur et singulae parietum partes forfice abscindantur; parvae statim aut cultro aut forfice removeantur.

Maxime timenda est haemorrhagia, quam ad debellandam clysmata frigida, injectiones aquae vulnerariae Thedenii adhibeantur, int. rectum linamentis implendum est. Quae quidem si nihil efficiunt remedia, supra jam in curatione haemorrhoidum nimiarum commemorata in usum vocanda sunt. Interdum etiam

accidit, ut omnia frustra adhibeantur; tum aegrotus peculiarem in abdomine sentit calorem, vires collabuntur, et vita exstinguitur.

4. Curatio haemorrhoidum complicatarum.

Si haemorrhoides aliis complicatae sunt morbis, nexus inter utrumque causalis diligenter perscrutandus est. Saepius hos morbos comitantes haemorrhoidalem fluxum provocantes et adjuvantes sanare possumus. Itaque si in hominibus, arthritide, lumbagine, morbo quodam lienis laborantibus indolem invenimus haemorrhoidalem, fluxum sanguinis remediis pluries jam commemoratis provocare debemus. Cum capitis aut pectoris morbi nexum aliquem cum haemorrhoidibus prae se ferunt, cave ne emeticum porrigas vel venaesectionem in superiore corporis parte instituas.

In hominibus indole haemorrhoidali praeditis, aetate jam provectis, si febri inflammatoria, encephalitide vel pneumonia corripiuntur, fluxus haemorrhoidalis saepius crisin efficere potest, itaque et provocandus est et adjuvandus.

5. Curatio haemorrhoidum dolorificarum.

Dolores in haemorrhoidibus statu quodam organorum abdominalium erethico et congestivo oriundi remediis demulcentibus interne sumendis, externe vaporibus tepidis, cataplasmatibus emollientibus etc. debellandi sunt. Cum autem rheumaticam aut arthriticam indolem ostendunt, maxime hydrargyri valent praeparata. Si noduli protrusi et sphinctere constricti dolores efficiunt, hi illico post alvi exonerationem reponendi sunt, quod optime lacinia, lintea, albumine vel ol. lini inuncta perficitur, dum ipsos nodulos leniter premas et sensim sensimque reprimas.

Si inflammatio mariscarum exoritur, pro gradu inflam[ma]tionis et aegroti constitutione venaesectio in brachio ins[titu]enda, hirudines applicandae et interne remedia porrigenda a[nti]phlogistica, quae si inflammationem subtulerint emeticum ter[tio] quoque die vel quarto porrectum optimum praestat effectum.

Interdum singuli noduli intumescunt et propter nimi[am] parietum densationem dolores procreant, tum cultro findendi [et] aqua frigida eluendi, tunicae autem durae et densae plane a[u]ferendae.

Prae ceteris autem in haemorrhoidibus dolorificis quotid[ie] alvus mollis provocanda, ne excrementa dura premendo dolor[es] et inflammationem augeant. Clysmata autem hunc ad fine[m] raro applicanda; cum autem adhibentur, e rebus mitissimis ex. gr. e lacte ol. amygdalar, ol. lini constare necesse est.

Aegrotus alvum aut in lasano sedens, ita ut pedes altio[res] positi sint, aut sine ullo adjumento exoneret. Dein in stragu[lo] cubet aut in corona sedeat, ne sanguinis motus impediatur v[el] varices comprimantur.

6. Curatio haemorrhoidum obstructarum.

Haud minus difficilius quam noxas alias removere, qu[ae] haemorrhoides obstruere queunt, hae ipsae restitui possun[t]. Eo facilius tamen hoc fieri potest, quo recentior casus existit, s[i] aegrotus nonnunquam molimina adhuc sentit haemorrhoidalia et e[o] magis exoptandum est, quo magis nova eaque graviora mala ori[]untur. Prae ceteris victus ratio aptissima commendanda, quae vis refrigeratio arceatur, sordes gastricae removeantur et re[]media adstringentia statim seponantur.

Deinde respicienda est aegroti constitutio. Si fortis est e[t] sanguine abundat et simul plethora animadvertitur abdominalis venaesectio instituatur, hirudines applicentur interne, cremo[r] tart. aliaque adhibeantur temperantia. In statu magis erethic[o] et ad affectiones spasmodicas abdominales inclinante intern[e]

valeriana, castoreum, asa foetida, externe clysmata antispasmodica et balnea calida adhibenda. Exstante atonia, adstringentia et roborantia ex. gr. millefolium, quassia, china et ferrum. Molimina haemorrhoidalia si hisce restituta sunt remediis, lavacris, insessibus, extremitatum inferiarum frictionibus, frequenti sub divo motu, ambulando, praecipue equitando adjuventur. Interdum in hominibus atonicis haecce molimina exigua sunt nec fluxus sanguinis evenit ita, ut medicum remediis irritantibus congestiones ad pelvim augentibus uti necesse sit. Haec autem pellentia, ut dicitur, in hominibus fortibus, vel erethicis ad spasmos inclinantibus nec non in morbis haemorrhoides obstruentibus (sit venia verbo) qui ea haud bene ferant, cautissime rejicienda et tunc demum adhibenda, si causa haemorrhoidum obstructarum sublata est. Hisce remediis annumeranda sunt: crocus, aloë, myrrha, colocynthides, helleborus, ferrum, borax etc., quorum effectum, corporis exercitationibus quotidianis, usu aquarum acidum carbonicum continentium, lavacris, frictionibus extremitatum inferiarum, abdominis, cucurbitulis interno femorum lateri appositis, adjuvare possumus. Moliminibus in integrum restitutis eadem, quam supra descripsi, curatio observanda.

7. Curatio haemorrhoidum incongruarum.

Haemorrhoides mucosae minus periculosae nec tam molestae quam haemorrhoides fluentes et cœcæ, cessante indole haemorrhoidali criticae sunt, ideoque nunquam supprimendae. Plerumque autem e statu prodeunt atonico et medicamenta adstringentia et roborantia saepius jam commemorata exigunt. In atonia vasorum intestini recti locali praecipue clysmata proficiunt adstringentia. Cura haemorrhoidum loco incongruarum difficillima et medico cautissime instituenda. Prae ceteris ea remedia plane omittenda sunt, quae haemorrhoides perturbare possint ex. gr. venaesectiones intempestivae et emetica saepius

repetita. Cave ne profluvium sanguinis supprimas, priusq fluxus haemorrhoidalis congruus restitutus sit, nisi incongr tantam emittat sanguinis copiam vel tantum temporis spat perduret, ut de aegroti vita timendum sit. Imprimis igitur dicus studeat fluxum haemorrhoidalem congruum restituere, q quidem iisdem remediis infra in curatione haemorrhoidum pressaram adhuc enumerandis assequi potest. Dein aut omnes ab organo, quod intestini recti vices suscepit, no arceantur, omnia, quae hoc irritant et congestiones auge removenda, quae si magnam assecutæ sunt vim vehementiamq venaesectione et hirudinibus debellandæ sunt. Irritabilitas org affecti remediis narcoticis hebetanda. Si vesica urinaria h morrhoidibus incongruis affecta est, plerumque sanguinis e flu impedita, dilatatur imo inflammatur. Catheter tempesti ingestus, balnea calida, ingestiones hunc exitum prohibe queunt.

Lichen haemorrhoidalis medicum et aegrotum valde vex Mundities prae omnibus observanda, vestimenta saepius co mutanda, regio pubis non calefiat et perinaeum saepius spong mundetur necesse est. Molestiae magis magisque crescent usum plumbi, mercurii etc. necessarium reddunt.

8. Curatio haemorrhoidum suppressarum.

Cum haemorrhoides plerumque causis externis suppres mala gravissima sequi soleant, illico auxilium ferendum est, n celerrime aegrotus decedit ex vita. Ab initio quidem hae fectiones inflammatoriae indoles sunt, quamobrem copia sanguin sat larga detrahenda; deinde magis spasticae fiunt et tum a tispasmodica in auxilium vocanda. Alvus ducenda est ol ricini et clysmatibus antispasmodicis, abdomen fomentis em lientibus obtegendum et unguentis demulcentibus fricandu Ad usum internum extr. hyosc., opium et parvae doses ipec cuanhae laudantur.

Prae omnibus autem fluxum restituendi necessitas urg quem ad finem hirudines ad anum applicandae, cucurbitulae regionem sacralem et ad latus femorum internum, clysmata c lida, insessus calidi adhibeantur. Saepius hoc periculum be succedit et fluxus redit; sin autem omnia nil quidem profeceru causas respicere easque removere debemus, ut aliquem effectu assequamur.

VITA.

Fridericus Guilelmus Timpe natus sum Berolini nno MDCCCXIV. die XII. Mens. Augusti, patre Fri- erico Christiano chirurgo practico, matre Emma 'riderica e gente Cossoniana, quos adhuc vivos gaudeo enerorque. Evangelicae confessioni addictus sum. Lite- arum rudimentis in Celeb. Blenzii schola imbutus, adii ;ymnasium Friderico Guilelmianum, quod hac urbe Celeb. pilleke directore florens per novem annos frequentavi. laturitatis testimonio instructus instituti regii medico-chi- ırgici Friderico-Guilelmiani civibus sum adscriptus. Hosce eleberrimos et illustrissimos viros de variis medicinae octrinis audivi:

Cel. Wolff sen. de hodogetice, logice et psychologia; l. Link de historia naturali et botanice; Ill. Schulz de otanice; Cel. Turte de physice experimentali et phar- acia; Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Schlemm de steologia, syndesmologia, splanchnologia; Ill. Müller de ıatomia et universa et organorum sensuum et comparata, que physiologia; artem cadavera rite secandi Ill. Mül- r et Ill. Schlemm me docuerunt; Ill. Fr. Hufeland pathologia generali, de semiotice et de therapia tam nerali quam speciali; Cel. Eck de physiologia; Ill.

Horn de pathologia et therapia speciali, de morbis syphi-liticis et psychicis; Ill. Osann de materia medica; Ce[l.] Casper de arte formulas medicas concinnandi et de me-dicina forensi; Cel. Kluge de arte fascias rite imponend[i,] de ossibus fractis atque luxatis, de chirurgia generali, d[e] arte obstetricia, de akiurgia; Ill. Juengken de chirurg[ia] speciali, de ophthalmiatrice et de akiurgia; Ill. Wagne[r] de medicina forensi practica; Ill. Hecker de Celsi libris[;] Cel. Froriep de anatomia chirurgica.

Quod ad rem veterinariam, audivi Ill. Gurlt de ana-tomia animalium domesticorum.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, obstetri-ciis, ophthalmiatricis interfui Cel. Wolff jun., Beat. Bar-tels, Cel. Wagner, Cel. Trüstedt, Ill. de Graefe[,] Ill. Jüngken, Cel. Kluge, Cel. Dieffenbach.

Quibus omnibus viris excellentissimis maximas qua[s] possum, habeo gratias.

Studiorum cursu peracto, medici inferioris in noso-comio caritatis Berolinensis munus suscepi, quo etiam nun[c] fungor.

Tentaminibus tam philosophico quam medico et exa-mine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione et the-sibus rite defensis, summi in medicina et chirurgia mih[i] tribuantur honores.

THESES.

1. Hydroceles operatio radicalis est rarissime indicata.

2. Operatio herniarum radicalis est rejicienda.

3. Condylomata acuminata sunt affectio localis.

4. Urethritis blennorrhoica non est syphilitica.